

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumato-graphia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XIII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Multi devoratis semel in acetario hujusce plantæ foliis, liberati sunt. Idem præstat semen, drachmæ tribus diebus à cæna devoratum pondere. *Mathiol. in lib. 2. cap. 125.*

CAPUT XIII. DE CROCO ET CERASIS.

Crocum floret continuo fere mense. A floribus subinde prodeunt folia, quæ tota virescunt hyeme, spreis algoribus: arefcunt ac protus deperduntur vere, nunquam apparent per ætatem. *Mathiol. ad l. 1. Diosc. c. 25.* Floret Vergiliatum occasu, confestimque cum folio florem expellit. Radix ejus gaudet calcari, pereundo provenit. Hinc versiculus:

*Pulchrior ut crescat, teritur crocus, ô furor ingens
Lætior ut posses surgere, nolle premi!*

Minder. Aloed. c. 4. Anhelosis tam prodest, ut *Cardanus de spirat. diffic.* Cæsaris de Comitibus socrum, quæ propter ingentem duorum mensium *duo proiois* jam morti vicina videbatur, restituerit. Puerperis in partu propinatum, raptim petit uterum, adeo, ut quædam fortum croco tinctum ediderit. *Heurn. lib. 2. medic. c. 14.* Infensum est cerebro; & copioso usu risum ciet. Exemplum in Mercatore quodam, qui cum plus æquo comedisset, in tantum post cibum coniectus est cachinnum, ut è vita cum risu discessurus videretur. Agaso quidam apud Pisaurienses, super duobus croci sarcinulis dormiens, eadem nocte obiit. *Lustran. Com. ad c. 25. lib. 1. Diosc. Cerasa* fimum horrent. Hinc, si radicibus admoveatur, degenerant; proficiunt, si sui ipsius putamina falce concisa, circum radices sepeliantur, ibique marcescant. Sine ossibus provenient, si arborem teneram ad duos recidas pedes, & eam usque ad radicem findas partis utriusque medullam, ferro abradi cures, utrasque statim vinculo stringas, *Mathiol. ad lib. 1. Diosc. c. 129.*

CAPUT